

liandis Deo Patri tantam obtulit propitiationis hostiam, et quorum nomina in libro vite conscripta sunt ante tempora.

De Completorio.

Completorium, quæ hora diem terminat abeuntem, celebrat sancta Ecclesia in honorem Dominicæ sepulturæ, dum fideliter Joseph et Nicodemus (qui ad eum venerat nocte primam) ipso de cruce deposito, circa corpus ejus illud aromatibus condientes, et linteis involventes, sanctis mulieribus, a longe ubi poneretur conspicientibus, officiosissime compleverunt. Non enim prætereunda est illa mulierum devotio, quem quia vivum ardentem dilexerant, ipsumque in cruce non sine nimio mœrore et lacrymis obiisse conspexerant: dum sepeliretur locum notabant diligenter ubi eum denuo repeterent, cum unguenta, quibus eum inungerent, reditura præparassent. Quarum devotiones, et obsequia dum animo recolimus; quis est qui non fervore maximo cum eis optet reverenter astitisse, et accuratissime ministrasse; quia quod jam non potest contingere, cum et corporalibus spiritualia præstare noverimus; nihil obest illi Dominicæ sepulturæ Dominici

corporis, corporaliter, quod non potuimus non interfuisse: sed quod illic actum est fide colentes, et amore consepulti ei, ad ea quæ mundi sunt, in secreto nostri pectoris requiem ei præparare satagamus, in qua non defunctus jaceat, sed jam vivens in sæcula vita nostra delectetur, et moribus requiescat. His igitur beneficiis gratias referentes, exoremus ut qui corda scrutatur et renes, ipse domum nostram interiorem a sordibus emundet vitiorum, quatenus eam ingredi et inhabitare sibi complacere. Nos autem, ne nihil studii adhibuisse videamur, priusquam obdormiscamus in somnum, quod nos in die peccasse cognoscimus, lamentis abluentes et poenitentia, quæ Dei sunt meditemur, et sancta meditatione locum ipsi in nobis præparemus, cum David dicentes: *Si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino (Psal. cxxxv).* Si igitur nobis obdormiscantibus tantus hospes penetralia cordis inhabitaverit: rursum nobis ex vigilantibus, ad nocturnas vigiliis illum quærentibus, haud longe aberit; quem fidelis anima in cubili pectoris paratum reperiet, ubi obdormiscens illum collocaverat.

ANNO DOMINI MCXVIII

SANCTUS HUGO

GRATIANOPOLITANUS EPISCOPUS

NOTITIA IN SANCTUM HUGONEM

(BOLLAND., *Acta sanctorum*, April. t. I, p. 36)

Inter illustres viros qui eximio sanctitatis splendore sæculo Christi XI et XII floruerunt, censi potest S. Hugo, episcopus Gratianopolitanus in Delphinatu superiore, familiaris S. Brunoni Carthusiæ fundatori, et S. Bernardo abbati Claravallensi. Natus est S. Hugo anno Christi 1053, episcopus ordinatus anno 1080; cum ferme annorum esset viginti septem, ut in Vita num. 5, legitur. Ad Dominum migravit anno ætatis suæ LXXX, consecrationis in episcopum XXXII, Christi 1132, Kalendis Aprilis, sexta ante Dominicam Palmarum feria. Erat annus ille bissextilis, quo cyclo lunæ XII, solis XXI, litteris Dominicalibus CB, Pascha celebratum fuit die 10 Aprilis. Hæc de ejus ætate.

Nomen S. Hugonis exstat variis fastis sacris ascriptum, tam manu exaratis quam prelo editis. Ex his sunt Grevenus et Molanus, in Auctario Usuardi; Maurolycus, Galesinius, Canisius; et ex monasticis, Wion, Menardus Dorganus, Bucelinus ei longum encomium texuit; Natalibus canonicorum ascripsit Constantinus Ghinius; in Martyrologio Gallicano plurimum eum laudat Saussaius, cum quibus omnibus ita celebratur in Martyrologio Romano: c Gratianopoli S. Hugonis episcopi, qui multis annis in solitudine vitam exegit et miraculorum gloria clarus migravit ad Dominum.

NOTITIA ALTERA.

(MABILL. *Annal. Bened.* tom. V, pag. 188.)

Erat Hugo filius Odonis, nobilis Valentiniensis, viri in militari habitu admodum religiosi, qui in provecissima ætate Carthusiense institutum arripuit, annisque in eo circiter decem et octo exactis, fere centenarius in-